

sensu sumpta (quo certe in lege valde onerosa sumantur oportet) significant tantum actus humanos malos, *formaliter*, non autem *aequivalenter* plures, seu singulas malitias unius actus humani.

Nihilominus notat Lugo (l. c. n. 141) *regulariter* in praxi explicandum esse numerum personarum in multis hujusmodi peccatis, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem, dicendo ex. gr. *occidi plures homines, desideravi fornicari cum pluribus feminis*, eo quod audiendo *feci homicidium, desideravi fornicationem*, confessarius intellexeret occisionem unius hominis, fornicationem cum una, et consequenter aliud peccatum quam quod revera factum est. Procul dubio distincte essent explicandae malitiae specificae quae e pluralitate objectorum unius actus orirentur, ut si quis desideraret occidere plures inter quos essent pater ejus et sacerdos. Tandem notandum non esse moraliter unum peccatum plures actiones vel omissiones *externas* quae ad invicem non ordinantur, licet ex uno voluntatis actu procedant. Sic plura certe peccata committeret qui vellet non recitare officium per totum annum et id postea exsequeretur, vel meretrix quae, ex voluntate semel elicit se exponendi omnibus, cum multis fornicaretur. (Lugo, l. c. n. 546) Hinc :

1^o Qui unico actu laesit famam totius familiae vel communitatis satisfacit dicendo : *Detraxi alicui familiae vel communitati*. Cavendum tamen ne tamquam unicus actus habeatur confabulatio in qua ter diverso modo tribus personis detractum sit.

2^o Qui unico actu scandalum praebet pluribus, eorum numerum explicare non debet.

3^o Qui unico actu famam alicujus apud plures laedit, eorum numerum explicare non debet. Hoc sentit etiam S. Alph. (n. 49), quia haec est tantum circumstantia aggravans, cum jus ad famam sit unicum apud omnes. Quae ratio, ut recte advertit Ball. P. (n. 270), probat sufficere ut dicatur *detraxi graviter vel leviter*, nec requiri ut addatur *coram pluribus*, sicut ponit S. Doctor.

N. B. Haec benignior sententia praesertim juvabit confessarium ne se existimet obligatum ad interrogationes molestas de talibus numeris.

CAPUT IV.

DE PECCATIS INTERNIS.

169. Licet jam supra (n. 164) quaedam de peccatis mere internis statuta fuerint, hic tamen plura de hoc aequae difficili ac practico argumento addenda sunt.

Plerique AA. recentes cum S. Alph. (l. 2. n. 15) inter peccata quae

interius animo et voluntate admittuntur triplicem classem distinguunt : desiderium, gaudium, delectationem morosam.

Desiderium est actus voluntatis quo quis deliberate intendit opus cogitatum, puta fornicationem, consummare : respicit ergo tempus futurum. *Desiderium* dicitur *efficax* quando elicitur propositum absolutum rei malae, *inefficax*, quando elicitur volitio condicionata seu parata ad rem malam exsequendam, si verificaretur condicio, ex. gr. : *Si possem furari thesaurum ecclesiae, furarer*. (S. Alph. l. c.)

Gaudium est deliberata complacentia in malo opere patrato : respicit ergo praeteritum.

Delectatio morosa est deliberata complacentia in objecto malo cogitato, fruendo ejus dulcedine, absque desiderio executionis : respicit tempus praesens. Vocatur *morosa* non a mora temporis, cum momento possit perfici, sed quod voluntas, post plenam advertentiam rationis, ei immoretur. (Bus. ap. S. Alph. n. 11)

Haec triplex partitio rebus moralibus tractandis apte congruit, quamquam non plane cum philosophicis notionibus convenit. Nam, ut habet S. Thomas (1. 2. q. 31. a. 3), gaudium " non habet locum nisi in delectatione quae consequitur rationem... unde de omnibus de quibus est delectatio, potest esse gaudium in habentibus rationem. „ Hic vero a notione gaudii excludimus delectationem *rationalem* de objecto praesenti, non excludimus delectationem *sensibilem* quae saepe ad rationalem consequetur.

Agemus simul de desiderio et gaudio, quorum reatus iisdem regulis determinatur, dein se junctim de morosa delectatione.

§ I. DE DESIDERIO ET GAUDIO.

170. PRINCIPIA. I. *Desiderium efficax* et *gaudium* habent eandem malitiam peccati mortalem vel venialem quam habet actus exterior in quem feruntur.

Ratio est, quod per utrumque voluntas tendit in actum externum tamquam in objectum quod approbat in executione futura vel praeterita. Necessario igitur fertur in ea omnia quae novit cum existentia objecti esse necessario conexas. Ita, si quis desiderat copulam habere cum femina quam novit esse matrimonio vel voto ligatam, necessario contrahit malitiam non tantum fornicationis, sed adulterii vel sacrilegii : hae enim circumstantiae separari nequeunt ab opere in quod voluntas fertur. Cfr. n. 41.

II. *Desiderium inefficax* pariter induit malitiam objecti quando condicio sub qua elicitur malitiam non tollit. Ratio est, quod tale desiderium

ponit in voluntate affectum ad rem prout substat prohibitioni, et consequenter manet formaliter desiderium transgrediendi legem. Exemplo sit qui elicit desiderium adulterandi si clam id facere posset.

III. Desiderium inefficax elicitum sub condicione quae omnem malitiam aufert per se peccatum non est; saepe tamen cum aliqua culpa conjungitur quia periculosum est vel saltem otiosum.

Sic licitum prorsus et etiam innocuum est desiderare ea quae jure tantum positivo prohibita sunt, sub condicione quod prohibita non essent, ex. gr.: *Libenter ederem carnes die Veneris si dispensationem obtinerem!* Per se quoque licitum, sed plerumque periculosum est optare ea quae sunt jure naturali prohibita, licita autem in aliquo casu vel statu, si is pro condicione apponatur, ex. gr.: *Occiderem Petrum si Deus mandaret; Catharinam uxorem ducerem si non essem sacerdos.*

Ubi vero iis quae lege naturali prohibentur apponitur condicio quae malitiam quidem tollat, sed impossibilis sit, ex. gr. *Fornicationem facerem si non esset peccatum*, contrahitur malitia objecti, si quis vere optat malum illud objectum non esse prohibitum: quia per se malum est velle inverti ordinem et legem naturae. Plerumque tamen per se peccatum non est: quia per talia desideria significatur tantum propensio naturalis quae in consensum circa tale objectum traheret, nisi Dei lex obstaret. Immo hujusmodi actus condicionati, in quibusdam materiis, optimi esse possunt, ut si quis diceret: *Vindicarer, si esset licitum, sed nolo propter Dei legem.* Sic enim ostenditur voluntas reprimendi propensionem naturalem propter legem divinam. In aliis autem materiis, ut in rebus venereis, hujusmodi desideria sunt valde periculosa. (Sanch. Mor. 1. 1. c. 2. n. 25)

171. QUAER. Num liceat gaudere de aliqua actione mala propter effectum bonum ex ea secutum.

RESP. Tale gaudium per se licet, dummodo eo sensu concipiatur ut gaudeamus quod opus parvum, puta occisio alicujus hostis Ecclesiae, habuerit talem effectum bonum. Sic enim tantum gaudeamus, supposito facto, quod inde aliquid boni secutum est. Hoc autem rectae rationi prorsus congruit: decet enim gaudere quod divina bonitas e pessimis operibus maxima bona educit. Neque videtur hic distinguendum utrum opus fuerit materialiter an etiam formaliter malum. Ecclesia enim de peccato Adami, sane formali, canit: *O felix culpa!* (Off. Sabb. Sancti) Similiter de pollutione nocturna gaudere licebit quatenus est utilis sanitati vel minuit tentationem: et quamquam S. Alph. (l. 2. n. 20) distinguit inter pollutionem nocturnam pure naturalem et eam quae

turpi somnio vel tactu causata est, rectior videtur communis doctrina quae hujusmodi distinctionem non facit. Contra, illicitum esset hujusmodi gaudium si eo sensu conciperetur ut gauderemus quod malum contigisset vel a nobis factum esset. Sic enim approbaremus peccatum et in eo complacentiam poneremus propter finem bonum. Nam sicut effectus ille bonus, ut supponimus, non poterat efficere ut illud opus quod est intrinsece malum, fieret bonum, ita neque ut sit dignum gaudio vel complacentia. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 3. n. 105; Ball. P. n. 109 seqq.)

Pari distinctione utendum esset si de desideriis quaereretur: nam haec iisdem principiis reguntur, siquidem se habent ad futurum sicut gaudium ad praeteritum. Sic licet simplici affectu et inefficaci desiderio desiderare, ob finem honestum, ut pollutio nocturna sine culpa oriatur: dummodo desiderium non sit tam intensum, ut tale quid probabiliter causet, neque sit periculum consentiendi in voluptatem. Attamen a talibus desideriis potius cavendum est cum sint imperfecta et periculosa. (Lessius, l. c.)

§ 2. DE DELECTATIONE MOROSA.

172. PRINCIPIA. I. Qui morose delectatur de re quam ut malam apprehendit, peccatum committit ejusdem speciei *moralis et theologicae* atque ipsum objectum quod ejus menti obversatur. Sic specie differt morosa delectatio de copula fornicaria a delectatione de copula sodomitica. (S. Alph. l. 2. n. 15)

II. Delectatio morosa probabilius non contrahit malitiam specificam circumstantiarum objecti sui, nisi circa ipsam circumstantiam formaliter versaretur delectatio. Nam, cum in tali delectatione abstrahatur ab omni executione vel praeterita vel futura, non apparet qua ratione voluntas feratur in objecti circumstantias, nisi de iis formaliter delectaretur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 363) Ita solutus qui morose delectatur de copula cum femina alteri nupta, de hac autem circumstantia non delectatur, satisfaciet se accusando quod de fornicatione delectatus sit; qui delectatur de occisione sacerdotis, quia turbulentus erat, opus tamen detestans, quia de sacerdote agitur, non contrahit malitiam sacrilegii. Recte autem notat Ball. P. (n. 162) naturae valde consonum esse ut voluntas non feratur in quasdam circumstantias, puta quod mulier nupta sit, cum hae potius aptae sint ad retundendum quam ad excitandum appetitum.

173. Advertendum est delectationem morosam, de qua hic unice agitur, eam esse quae versetur circa ipsum opus malum mente apprehensum. Ab ea igitur prorsus differt :

1° Delectatio de ipsa *cogitatione rei malae*. Nam cum cogitatio de peccatis possit esse bona, puta in ordine ad concionandum, et ipsa delectatio de tali cogitatione potest bona esse; venialiter autem mala foret si cogitatio haec otiose e mera curiositate foveretur. Saepe autem difficile est, praesertim in cogitationibus de re turpi, discernere utrum delectatio sit de cogitatione rei malae an de ipso opere malo vel de motu turpi qui ad talem cogitationem naturaliter consequitur. Ut recte advertit Suarez (de Pecc. disp. 5. sect. 7. n. 8), nullum datur criterium infallibile, neque probabilitatem delectationis culpabilis excedunt signa deducta e turpibus effectibus talis cogitationis, vel ex eo quod homo huic immoretur ex aliqua occasione turpi vel etiam sine causa aut necessitate. Potissimum recurrendum erit ad praesumptionem e reliqua hominis vita oriundam. Cfr. n. 161.

2° Delectatio de *modo* quo res mala peracta est, si quis, ex gr. delectetur de modo ingenioso quo patratum est furtum vel adulterium, de stylo eleganti quo turpia describuntur, de arte qua pictura indecens enitet, etc. in qua delectatione per se nihil est mali. Facile tamen ab hac delectatione ad delectationem formalem rei turpis transeunt qui saepe gestiunt de turpibus artificiose loqui, rerum inhonestarum metaphoris gaudent, frequenter jocosae de occultis corporis partibus morbivae loquuntur, etc. Nihilominus non semper licet concludere huic pravae delectationi inhaerere eum qui libentius et avidius turpia legit auditve quam honesta. Nam hujus rei causa esse potest curiositas quae ad nova et insolita acuit; deinde possunt simul adesse ambae delectationes: altera de modo ingenioso vel grato, quam voluntas admittit, altera de ipso objecto pravo, quae, licet a voluntate rejiciatur, efficit tamen ut propensius huic lectioni vel colloquio opera detur. (Ball. P. n. 103 seq.) Semper urget obligatio vitandi periculum proximum consentiendi in delectationem rei cogitatae, ut per se liquet.

174. **QUAER.** Num liceat sponsis de futuro gaudere de copula quam, inito matrimonio, habituri sint, vel viduis de ea quam olim cum comparte habuerint.

RESP. Probabilius licet de tali copula fovere delectationem *rationalem*, quae est gaudium et complacentia voluntatis: nam objectum, per illam condicionem appositam et prout intellectui objicitur, nihil inhonesti continet. Non licet autem de eadem copula fovere delectationem *sensitivam et carnalem*: ita enim consentiretur in delectationem

veneream non condicionatam, sed absolutam et praesentem. Omnino autem deterrendi sunt soluti ne de hujusmodi rebus graviter turpibus cogitent, eo quod tam facilis datur transitus a delectatione rationali ad carnalem. (Ball. P. n. 139 seqq.) Quid vero liceat conjugatis circa hujusmodi delectationes de copula inter se habita vel habenda, dicetur Vol. II. n. 547.

175. Specialis difficultas in confessione occurrit eo quod poenitentes multi inter peccata interna contra castitatem non distinguunt et promiscue tamquam *cogitationes pravae* accusant delectationes morosas, desideria et gaudium de luxuria patrata. Ut autem pateat quousque confessarius de his distinctionibus praetermissis interrogare vel instruere debeat, haec notasse juvabit :

1° Probabile est plerumque simplices delectationes de variis peccatis venereis specificae diversis, ut sunt adulterium, fornicatio, oscula, etc. non differre specie: quia feruntur ordinarie in delectabilitatem ortam e motu seminis, quae eadem est sive ex hoc, sive ex illo objecto cogitato oriatur. Unde idem potest dici earum objectum formaliter inspectum, seu secundum quod delectationes ab eo moventur. Non deest ergo ratio etiam theoretica ob quam ab ulteriori investigatione circa objectum simplicis delectationis venereae abstinere. (Reuter, Theol. Mor. P. 2. n. 209) Praesumere enim potest confessarius delectationem habitam esse a poenitente tantum sub hac magis confusa ratione.

2° Si inspiciatur tantum obligatio poenitentis confitendi peccata praeterita, verissimum videtur quod scribit Berardi (Praxis Conf. n. 52): rudes plurimos non distinguere inter delectationes turpes, desideria turpia et gaudium de rebus turpibus, ideoque illas species materialiter tantum, non autem formaliter in eorum conscientia adesse, unde nec ipsi teneantur ad illas accusandas, nec confessarii ad eos de illis interrogandos. Nihilominus, cum boni confessarii sit poenitentem *prudenter* docere ea quae ad rectam cognitionem peccati pertineant, videtur non raro interrogatio aliqua facienda de desideriis praesertim efficacibus: quam distinctionem multi etiam sat rudes capere possunt. Cfr. Vol. II. n. 361 seqq.

3° Ubi prudenter suspicatur confessarius interrogationes de peccatorum internorum speciebus nihil profuturas ob mentem obtusam poenitentis, vel etiam nocituras esse eo quod confessio illi redderetur odiosa, ab illis certe abstinere poterit. Nam nullum examen hujusmodi institendum est nisi quod sit moraliter possibile: quod principium generale, omnium consensu, latius applicandum est in materia venerea quam in qualibet alia. (Berardi, op. cit. nn. 53 et 4505)

4° Probari posse videtur ratio agendi multorum confessariorum in

Theologia peritorum quos Reuter (l. c.) testatur a se interrogatos esse, nempe ut poenitentes non jubeantur explicare objecta venerea, de quibus simpliciter delectati sint, sed accusantes se de turpibus cogitationibus, interrogentur an consenserint in delectationem; si affirmant, ulterius interrogentur an non adfuerit turpe desiderium alicujus actus externi, an nihil mali in iis factum sit ex. gr. tactu; quodsi negent poenitentes, petatur delectationum numerus (cfr. n. 164) et quoad speciei explicationem acquiescatur.

CAPUT V.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

176. Peccatum, seu rectius vitium capitale dicitur illud ex quo alia vitia oriuntur et praecipue secundum originem causae finalis. (S. Th. 1. 2. q. 84. a. 3) Nempe si finis quem inordinate prosequitur aliquod vitium capitale, est natura sua multum appetibilis, ex. gr. excellentia propria vel divitiae, primum est multa media, etiam prava, ad illum finem assequendum adhibere: Nomen igitur *capitalis* hujusmodi vitia merentur minus propter gravitatem peccatorum quae ex illis fluunt (multa enim venialia sunt) quam propter *numerum* et *varietatem* vitiorum quae ad peccata capitalia, tamquam media ad finem, ordinantur. Ex hac peccatorum capitalium natura satis liquet pleraque ex illis fluentia peccata adversari peculiaribus obligationibus quae in aliis partibus Theologiae Moralis explicantur. Sic malitia cordis ob avaritiam duri erga pauperes elucidabitur ubi de praecepto eleemosynae agetur, etc.

Solent peccata capitalia post S. Greg. M. (Moral. l. 31. c. 45) et S. Th. (1. 2. q. 84. a. 4) recenseri septem. Hujus numeri rationem dat Doctor Angelicus (l. c.). Tria bona homo, tamquam fines primarios, inordinate *prosequi* potest: bonum animae, quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, puta excellentiam laudis et honoris, per *superbiam*, seu inanem gloriam; bonum corporis, per *gulam*, quatenus pertinet ad conservationem individui, et per *luxuriam*, quatenus pertinet ad conservationem speciei; bonum exterius, per *avaritiam*. Duplíciter vero *fugit* aliquis bonum propter aliquod malum conjunctum: vel respectu boni proprii, per *acediam*, vel respectu boni alieni, per *invidiam*, quatenus abest insurrectio ad vindictam, et per *iram*, quatenus hujusmodi insurrectio adest.

De luxuria seu inordinato appetitu venereorum dicemus in explicando sexto et nono praecepto Decalogi. De reliquis hic breviter.

§ 1. DE SUPERBIA.

177. Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae.

Tres gradus in ea distingui possunt: primus quo quis vult excellere super alios aequales, et hoc est veniale ex genere suo; secundus quo quis despicit aequales vel inferiores, et hoc est mortale vel veniale, prout superbus gravem vel levem injuriam infert; tertius, quo quis propter excellentiam suam despicit Superiores eorumque legibus subjici recusat, quae est superbia consummata et mortalis ex toto genere suo. (Struggl, de Pecc. q. 3. n. 1 seqq) Si quis autem ordinate ex motivo honesto aliis praeponi vellet, is superbus non esset.

Inter vitia autem quae de se nata sunt ordinari in finem superbiae, ideoque ejus *filiae* dicuntur, ea tantum hic considerabimus quae alibi non occurrunt. Sunt autem:

I. **Praesumptio**, quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires, Haec per se venialis est, nisi quis propter imperitiam suam se gravi injuriae Deo vel proximo inferendae exponat, ut si absque sufficienti peritia vellet exercere munus medici, confessarii, etc.

Cavendum tamen ne, fugiendo praesumptionem, incidat quis in *pusillanimitatem*, quod vitium est quo homo recusat tendere in id quod est suae potentiae proportionatum. (2. 2. q. 133)

II. **Ambitio**, quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti vel debito majoris, ut si quis ambit officium quo indignus est.

Hoc peccatum est per se veniale: fit autem mortale vel ratione medii per quod honor quaeritur, puta per simoniam, vel ratione damni quod proximo inferitur. Moderatus autem appetitus honoris ob finem honestum est actus *magnanimitatis*.

III. **Vana gloria**, quae est inordinatus appetitus manifestationis propriae excellentiae, sive verae, sive fictae. Dicitur *vana*, quando quaeritur ex re mala, falsa aut ficta, aut quae non est digna gloria vel non tanta, ut ex opibus, nugis, etc., aut apud eos qui non bene de re judicant aut sine debito fine.

Haec constituit peccatum veniale ex genere suo, etiamsi quis res sacras, ex. gr. contiones, principaliter ob vanam gloriam faceret; per accidens tamen grave peccatum constituere posset, nempe si manifestatio propriae excellentiae fieret cum gravi alterius injuria, aut si quis in vana gloria finem suum ultimum collocaret, eique scienter ita adhaereret ut paratus esset potius gravia scelera admittere quam ei nuntium mittere. (Struggl, l. c. n. 6) Manifestatur autem propria excellentia inordinate praesertim triplici ratione: